

sus civitatis Mediolani factum per ipsum illustrissimum Ducem; solutio autem incipiat in fine anni et debeat fieri Belinzonæ.

Item, dat eis Lucarnum, Luganum ac Domodulam et arcem suam cum omnibus ejus appendici-  
bus usque ad lacum Lugani et Lucarni; qui lacus debeat esse ipsius illustrissimi Ducis; fiat tamen ad dictam conditionem, quod prædicta tria castella Lugani Lucarni et Domosulæ non possint ullo unquam tempore alio vel aliis hypothecari, obligari seu vendi ipso irrequisito Duce, cum semper ad illorum recuperationem sit paratus.

Item, dat eis exemptionem theolonii ac etiam omnium victualium per totum statum Mediolani, prout habuerunt tempore bone memoriæ Ludovici patris sui.

Item, dat eis perpetuo fœdere iniendo XL milia ducatorum pro singulo anno, cum hoc pacto quod debitum incipiat prima die qua illustrissimus Dux Mediolanum ingressus fuerit, et solutio fiat in fine anni, quæ fieri debeat Belinzonæ.

Item, obligat se in omnibus eorum bellis succurrere eis cum quingentis militibus suo stipendio, dummodo illustrissimus Dux proprio bello non vexaretur, quo casu non vult tantum ad auxilium.

25\* Item, petit ista capitula in dieta Badense stipulari ac de eis fieri instrumentum et instrumenta fœderis sive ligæ, ac subscribi et sigillari manibus dominorum Helveticorum principalium nomine omnium duodecim cantonorum et confœderatorum juxta morem illius Patriæ, et ad laudem Dei ejusque gloriosæ Genitricis Mariæ ubique in locis publicis, publicari et conservari.

*Responsio magnificorum dominorum Helveticorum ad capitula proposita nomine illustrissimi Ducis Mediolani in dieta Badense, pro fœdere sive liga concludenda inter utrosque.*

Primo, respondent ipsi domini Helvetii, quod videntes justa et honesta capitula confœderationis sive ligæ proposita per illustrissimum Maximilianum ducem Mediolani in presenti dieta, contentantur ac contenti remanere de ipsis prout volunt, ac ita promittunt facere instrumentum laudis seu approbationis et contra ipso illustrissimo Duci omnia sequentia, date indubie promittunt et observare ac etiam inviolabiliter observari facere ab omnibus eorum subiectis.

Item, promittunt infra mensem dare et libere assignare absque aliqua mora civitatem Astensem cum

ejus villis, nec non Vallem Entelvam et Valtelinam illustrissimo Duci Mediolani vel ejus locum tenenti generali, cum omnibus suis actionibus, jurisdictionibus et pertinentiis.

Item, obligant se ad omnem ipsius illustrissimi Ducis requisitionem vel ejus nomine agentis, dare eorum stipendio sex milia peditum usque ad perfectum bellum, dummodo propriis bellis non sint occupati.

Item, obligant se manutenturos, deffensuros ac protecturos ipsum illustrissimum Ducem Mediolani ac statum ejus contra quoscunque ejus hostes, cum hoc tamen pacto, quod ultra sex milia peditum, debeat dare ipse excellentissimus Dux aliis qui in auxilium venient, quatuor florinos Rheni pro quoque, hac semper intellecta conditione, dummodo proprio bello non vexentur.

Item, obligant se ad præstadam omnem operam et auxilium pro recuperandis civitatibus, castellis et locis qui antiquitus fuerunt inelyti status Mediolani, ac ipsi conservare ac manutendere.

Item, promittunt Mediolanensibus exemptionem theolonii ac omnium edulium et victualium per omnes terras et loca sua, prout ipsi volunt habere in ducatu Mediolani.

Item, petunt quod, cantata missa de Spiritu Sancto assistentibus magnificis dominis oratoribus Mediolani ac ipsis dominis Helvetiis principalibus, fiant super præmissis capitulis huius sanctæ confœderationis instrumenta publica signata et subscripta ac sigillata per oratores Mediolanenses et dominorum Helvetiorum ac sono crotali publicentur, et ubique inviolabiliter observentur.

*Copia di uno giudizio venuto di Alemagna in questo mexe di avosto 1512.* 26

Universis ad quos pervenerit etc.

Magister Luchas maximus philosophorum et omnes sibi concordantes noveritis, quod anno 1512 in mense septembris, Sol existente in Libra, conveniunt omnes planetæ insimul cum Sole in cauda Draconis. In signum mirabile, fiat quod diluvium per Saturnum crescent, quod mirabilia multa et magna ultra solitum, erit ventorum tanta conflacio, quod conflabunt omnes insimul et obscurabunt totum aerem sonosque dabunt horribiles, corpora hominum dissipantes et ædificia subvertentes; præter hæc omnia, erit eclipsis Solis a tertia hora usque ad undecimam ante meridiem ignei coloris sive rubicundi, quod significat mirabilia magna; quæ ho-